Lane Medical Library

DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
AUCTORITATE ET CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

HERMANNUS SCHMIDT
BEROLINENSIS.

Opponentibus:

C. A. KLUG, med. et chir. Dr.
J. MAYER, med. et chir. Dr.
ED. KRIEGER, med. et chir. Dr.

BEROLINI,
TYPIS HAYNIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

Dr. J. G. SCHMIDT

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS

Introitus.

Inter varios, qui muliebre praecipue corpus aggrediuntur morbos, certe Chlorosin, et ob magnam ejus frequentiam, et ob malos, qui neglectam sequi solent, eventus, inter graviores ponendam, et quae accuratius describatur dignam esse, nemo dubitabit. Ab antiquitatis medicis, Hippocrate potissimum et Galeno descriptam eam fuisse, quamvis Riverius [1]) et Mangetus [2]) contenderint, tamen negandum videtur. Nam etsi iis, qui ita bene observarunt, plurima quae de Chlorosi scimus, satis cognita fuisse, sine dubio concedamus, tamen eos symptoma tantum aliorum morborum, ut mensium retardatorum aut suppressorum, eam existimavisse inde jam elucet, quod ne vox ipsa quidem apud eos occurrit, multoque minus accuratior ejus explicatio. Quod etiam affirmatur a Frankio [3]), qui Chlorosin non prius quam saeculo decimo sexto ad specificae aegritudinis dignitatem evectam esse contendit, adjicitque, primum hujus tituli auctorem diversarum regionum vulgus fuisse, ut qui

---

[1]) Laz. Riverii opera medica universa. Tom. II. Lib. XV. Cap. I.

[2]) J. J. Manget., bibliotheca medico practica. Tom. I. pag. 537.

[3]) J. P. Frank, de curandis hominum morbis epitome. Viennae 1821. Libri VI. Pars III. pag. 20.

principalem hujus affectionis characterem a colore faciei aegrotantium *pallido* et ex *flavo-viridescente*, *prasino* (id est χλωρος) petiisset.

Praeter hoc nomen nunc usitatissimum, morbo nostro permulta alia a diversis medicis data sunt, ut: *febris alba*, *febris amatoria*, *ictericia alba*, quarum trium adnominationum mentionem, cum adjecta earum ingeniosa explicatione L. B. inveniet in Mangeti bibliotheca [4]). Praeterea *pallor virginum*, *cachexia chlorotica*, *cachexia virginea*, *melancholia amatoria* appellatus est.

Symptomatologia.

Inter Chloroseos symptomata ea primum afferam, quae sunt graviora, et plerumque per morbi decursum inveniuntur, deinde quae rarius obveniunt, aut minoris sunt momenti enarrabo. Omnium symptomatum gravissimum medici semper habebant, quod morbo nomen dedit:

Colorem pallidum, virescentem, prasinum, albidum, luteum totius corporis, praecipue faciei. Omnes medici hoc symptoma inter Chloroseos pathognomonica habent; sed vix peculiare mihi videtur huic morbo, quia et in aliis, ac in chloroticis labia aliaeque partes, statu sano rubescentes, pallent, ut v. g. sclerosi affectis et alia quadam cachexia, aut inflammationibus chronicis laborantibus. Qua ex causa non majorem mihi habere dignitatem videtur, quam compluria alia symptomata, quibuscum conjunctus demum

[4]) Manget. loc. cit. pag. 526.

color pallidus morbum insignit. — Etiam membranae mucosae hunc pallorem praebent, ut lingua, quae simul saepe muco tenaci obtecta est.

Cutis est flaccida, palpebrae inferiores oedematosae velut saccum sordidum lividum formant; nec raro oedemata apparent circa malleolos, quae vespertino tempore aucta, matutino diminuta esse solent. Simul cutis manui impositae frigida apparet, et revera aegroti frigoris sunt impatientes semperque calorem desiderant: calor igitur organicus diminutus videtur.

Musculorum actiones valde debilitatae sunt, ita ut aegroti jam levi musculorum intentione, praecipue si acclivem locum ascendunt, summa defatigatione afficiantur. Mirandum autem habeo, quod quidem saepius ipse observavi, puellas chloroticas in saltando summa assiduitate perseverare.

Haec musculorum debilitas sine dubio causa est illius respirandi difficultatis, quae quidem chloroticis nunquam deest neque *dyspnoea* sed *apnoea* nominari debet, quia aegroti, quum jubeantur, thoracem perfecte extendere possunt.

Cordis palpitationibus chlorotici frequentissime torquentur, quo fit, ut jam levioribus motibus, praecipue si scalas ascendunt, aut animi affectibus, (quales sunt gravis terror, moeror diuturnus, suppressa iracundia), quod a celeberrimo Hoffmanno [5]) jam comprobatum est, facile

---

[5]) Frid. Hoffmanni medicinae rationalis systematicae Tom. IV. Pars IV. Cap. XIII. pag. 391.

vertigine afficiantur, summa anxietate corripiantur, et ad syncopen inclinent. Quam cordis affectionem ceteri quoque vasorum sanguiferorum systematis status morbosus sequitur, invenimus enim saepe pulsum frequentiorem, sed parvum, debilem, digito prementi facile cedentem, *minime* vero *febrilem.*

Digestionis organa in Chlorosi semper inveniuntur perturbata. Ciborum appetentia valde imminuta, saepe fere nulla; haud raro cupidine rerum insuetarum et nutritioni neutiquam aptarum (quae cūpiditas voce *picā* seu *malacia* nota est) laborant aegroti. Minime vero haec appetitus alienatio inter symptomata pathognomonica numeranda. — Praeterea sordes per primas vias variis cognoscuntur signis: sapore amaro, acido, lingua muco albido flavescente obtecta, in ventriculo brevi post coenam dolores oriuntur cardialgici, quos ructus ac vomituritiones interdum sequuntur: venter efflatus, borborygmi, alvi obstructiones pertinaces, aut rarius diarrhoea mucosa.

Chlorosi affectae virgines ac mulieres fere semper menstruationis anomaliam patiuntur: menses aut suppressi, aut retardati, aut nulli, plerumque decolores, parci aut cum fluore albo conjuncti. In quibus plane suppressus est fluxus menstruus, has tamen naturae intentio eum propellendi periodice moliminibus torquere solet; sed quae lunaris tributi immunes adhuc erant, inter chloroticum quoque statum moliminibus menstrualibus molestari non solent. Nec desunt exempla sanguinis menstrui per insolitas vias, ut per nares, pulmones etc. prorumpentis. At qui menses anomalos essentiale quid iu hoc morbo judicant,

quin etiam ejus causam proximam esse censent, ut non modo fere omnes priores de Chlorosi auctores, sed etiam nostri temporis nonnulli scriptores, Kaempf, Cabanis, alii (vide Cap. de aetiologia), maxime falluntur, quum haud raro puellarum et feminarum, sub reliquis Chloroseos phaenomenis, menstruo tamen fluxu nequaquam destitutarum exempla occurrerint. P. Frank[6]), Loew[7]), Richter[8]), alii hanc rectiorem jam explicarunt sententiam, et patri meo plures occurrerunt casus eam comprobantes.

Etiam systema nervorum plerumque plus minusve affici observamus. Nam ineunte jam morbo aegrotos saepe vidimus morosos, difficiles, et haec sensibilitas morbose aucta una cum morbo progredi solet, ita ut aegri tristitia et veluti melancholia impulsi solitudinem quaerant, suspirent et sponte lacrymas effundant, nec ullo modo ad hilaritatem commoveri possint. Saepe cephalaea afficiuntur, quae modo hemicraniae formam induit, modo synciput aut occiput tenet; nonnunquam hysteriae symptomata paullatim exstitisse observatum est.

Symptoma nunquam in Chlorosi deficiens est sanguinis mutatio peculiaris, quae imo morbi ipsius pars est essentialis, utpote ex qua sanguinis depravatione cetera morbi symptomata nascantur, quod quidem in Cap. de aetiologia accuratius adumbrabimus. Sanguis menstruus, ubi effunditur, pallidior et sero ditior conspicitur, aeque ac in san-

---

[6]) P. Frank loc. cit. pag. 21.
[7]) Ephemerid. naturae curios. Dec. II. an. IX. pag. 190.
[8]) Richter spec. Therapie, Bd. III. S. 757.

guine, ex vena misso, cruorem valde exiguum, partem serosam, saepe muco immixtam, longe abundantem cernimus. Symptomata, hucusque a me enarrata, omnia in quaque Chlorosi obveniunt; quae quidem pro varia hominum constitutione plus minusve mutari, ita in rerum natura inest, ut omnino de morborum symptomatis dici debet. Quod ad illam Chloroseos speciem, quam Haupt[9]) et eodem tempore Heidenhain[10]) observarunt, et nomine Chloroseos *floridae*, *synochicae*, *plethoricae* commemorarunt, pertinet, ex qua symptoma, primum a me allatum, color pallidus, Chlorosi essentiale non esse sequeretur, dubito, num morbo, ab illis observato, Chloroseos nomen merito imponi possit (vid. Cap. de aetiologia).

Praeterea symptomata alia nonnunquam accedunt, ut v. g. sanguinis congestiones ad caput celeriores post motus, dolores cervicis, dolores in lienis regione vel in lumbis et dorso, affectiones biliosae, quae quidem sequelae functionum digestionis perturbatarum interdum observantur. Nec minus raro majoris animi perturbationis signa occurrunt, ut motus convulsivi, deliria, risus, cachinnationes ac fletus sponte profusi, melancholia, spasmi (hysterici), somnambulismus, chorea St. Viti, alia, quae quidem omnia nonnisi morbo diutius permanente accidisse observata sunt.

---

[9]) Cf. ejus dissertat. inaugural. de Chlorosi. Halae 1827, pag. 16.

[10]) Cf. ejus dissertat. inaugural. de Chlorosi. Halae 1830, pag. 21.

Complicationes.

Multa sunt mala, quibuscum Chlorosis complicata reperitur, quae aut iisdem ex causis, quibus Chlorosis, nascentes inter ejus decursum accedunt, aut jam inde a tenerrima aetate turbaverant sanitatem. In primis nominanda sunt: hydrops ovariorum, hydrops pericardii, nimiae ventriculi contractiones, concretiones biliariae, asthma, phthisis pituitosa aut tuberculosa; in alteris autem praecipue scrophulosis, rhachitis, atrophia et ingens caterva morborum exanthematicorum. — Raro tantum Chlorosis invadit corpora, quae prius integra gavisa sunt valetudine.

Aetiologia.

1) De causa proxima Chloroseos, atque ejus natura.

Omnium temporum medici diversas de Chloroseos natura protulerunt opiniones, quarum gravissimas laudare mihi liceat.

Scriptores prioris aevi principium morbi nostri fere omnes ex *mensibus aut retentis aut suppressis, atque humoribus crassis* petunt. Lange[11]) et Riverius[12]) veram hujus morbi causam in mala uteri constitutione positam esse confirmant, in quo, quando menstruae purgationes apparere incipiant, obstructionem venarum uteri fieri credunt.

---

[11]) Joh. Lange, Epistolae medicinales Lib. I., epist. 21.

[12]) Riverius loc. cit.

Fonseca[13]) sanguinem ex uteri venis redundantem viscera abdominalia, imprimis lienem afficere contendit, causam autem mali, abundantiam esse humorum crassorum.

Bernardus Valentinus[14]) liquore seminali, quovis modo in racemis vaginalibus abundanti, qui „turgescentia sua virgines miserabiles, aliasque in tristi orbitatis statu viventes viduas juniores varie vexet" Chloroseos, aeque ac aliorum uteri morborum originem tribuit.

Mangetus[15]) in liquore seminali, propter ipsius retentionem succorumque illi efformandi idoneorum appulsum continuum, alteratum ac nonnihil corruptum, Chloroseos ponit causam, adjicitque hunc morbnm formosas virgines ac viduas aggredi, quia in illis materia seminalis sit uberior.

Auctore Hoffmanno[16]) causa proxima consistit in „nimia sanguinis impuri et humorum viscidorum ac minus spirituosorum abundantia ob naturalem tonum, vigorem et robur partium solidarum maximeque viscerum, chylificationi, sanguificationi et depurationi inservientium, valde labefactum, in corpore collecta." Ac nihil igitur esse aliud Chlorosin contendit, quam cachexiae speciem, iisdem, quibus cachexia, signis sese prodentem.

---

[13]) Roder. a Fonseca consultat. med. Consult. VI. pag. 58.

[14]) Theoph. Boneti Medicina septemtrionalis collatitia Pars II., observ. I., pag. 4.

[15]) Manget. loc. cit. pag. 527.

[16]) Fr. Hoffmann loc. cit. pag. 388.

Van Swieten[17]) a nimia sanguinis glutinositate derivat nostrum morbum; quae difficiliorem faciat trajectum per minora vasa, vel et tandem onmino impediat.

Cullen[18]) a morboso quodam statu ovariorum, quo vasa uteri sympathico connexu ita afficiantur, ut fluxus menstruus provenire non possit, Chlorosin pendere contendit; sequelam igitur confundit cum causa.

Speciosa est sententia de ortu palloris virginalis in Chlorosi, quam Lentilius[19]) in medium profert, nam quod nimirum, ait in salacibus et viripetis, udor lymphaticus, lasciviae femininae auctor, in ὀργασμὸν et effervescentiam quandam actus, parenti suo ἀναθυμάσεις salinas volatiles communicet, quae per glandulas subcutaneas expirent. — Quamvis nobis subabsurda videatur talis opinio, tamen illo tempore i. e. sub finem saeculi decimi septimi, fere omnes medici majoris auctoritatis de ea convenisse videntur, et Loew[20]) in dissertatione, ceterum sagaciter scripta, postquam eorum sententiam, qui mensium perturbationem causam Chloroseos ponunt, refutavit, Lentilii illam opinionem confirmat.

Kaempf[21]) anomalias menstruationis procreare Chlorosin accusat; has autem cujisvis generis anomalias atonia corporis totius, imprimis uteri oriri censet.

---

[17]) Van Swieten Commentaria in Boerhaavii aphorismos. Lugdini 1742 Tom. I. §. 73.

[18]) Cullen Anfangsgründe der praktischen Arzneikunst. Leipzig, 1798. Thl. 2. S. 521.

[19]) Ephem. natur. curios. Dec. II., an. II. pag. 303.

[20]) Ephem. natur. curios. Dec. II, an. IX. pag. 192.

[21]) Kaempf Handbuch der prakt. Arzneikunde, Chemnitz 1795. pag. 402.

Sicuti priorum scriptorum opiniones de natura et causa proxima Chloroseos paululum inter se discrepant, ita et nostri aevi medici sententias non nimis differentes de hac re protulerunt.

Sic Mende[22]) quum evolutio sexualis incipiat, antequam organismus necessariam sui ipsius conservationis firmitatem acquisiverit, Chlorosin oriri docet, quo fiat, ut et systema genitalium maneat inexcultum, nec functiones suas exercere possit, et nutritione, assimilatione, sanguificatione impeditis, conservatio sui ipsius in periculum vocetur.

Hac cum opinione omnino consentit Richter[23]) adjicitque Chlorosin hanc ob causam semper incidere in periodum evolutionis sexualis.

Desormeaux[24]) Cabanisii sententiam comprobat, causam proximam morbi nostri esse languorem et segnitiem organorum sexualium eorumque efficaciam in nutritionem ac sanguificationem, aut turbatam aut sublatam. Naturam enim, inquit, causarum remotarum, symptomatum consecutio, medicamina, quorum efficaciam experientia comprobavit, cum hac sententia optime congruit, eamque affirmat.

Brandis[25]) et Jahn[26]) in debilitate systematis lym-

---

[22]) Mende, die Krankheiten der Weiber, Leipzig 1810. Thl. I S. 248.

[23]) Richter loc. cit. S. 758.

[24]) Encyclopaedie der med. Wissenschaften nach dem Diction. de médecine von Meifsner. Bd. 3. S. 148.

[25]) J. D. Brandis, Erfahrungen über die Wirkungen der Eisenmittel. Hannov. 1803. S. 124.

[26]) Jahn, Klinik der chron. Krankheiten.

phatici causam primariam collocant, quae causalibus momentis et causis occasionalibus exorta, priore tempore fabricationem chyli perturbet, tum autem ita tollat, ut sanguificatio prorsus alienetur, et tali quidem modo, ut nimis exigua ferri oxydati copia in corpus feratur.

Carus[27]) in turbato nisu formativo quaerendam esse naturam Chloroseos ait, quum ex *haematosi vitiata* oriatur, quapropter differentiam inter nostrum morbum, et alias eadem causa nitentes se non intelligere profitetur. Huic simillimam opinionem Schoenlein docet, qui in familiam cyanosium inserit morbum nostrum, quia quavis in specie symptomata familiae totius generalia perspicue eluceant, quod revera ingeniose demonstrat.

Joerg,[28]) refutans sententiam eorum, qui Chloroseos naturam in fluxu menstruo retento, aut in coeundi cupidine non expleta ponunt, proximam ejus causam in minuto nutritionis processu, conjuncto cum sanguinis oxygenisatione non sufficiente, et sequenti inde anomala genitalium functione quaerendam esse docet.

Etiam Siebold[29]) reproductionis morbum Chlorosin vocat, ac negat, perturbationes systematis sexualis proximam ejus esse causam, sed eas cum morbo toto ex eodem fonte scatere contendit; quod jam a Frankio[30]) de natura nostri morbi edictum est.

---

[27]) Carus Gynaecologie Bd. 1. pag. 158.

[28]) J. C. G. Joerg, Handbuch der Krankheiten des Weibes. Leipzig. 1831. §. 216.

[29]) Siebold, Handbuch der Frauenzimmer-Krankheiten. Frankfurt a. M. 1811. Bd. I. §. 405 et seq.

[30]) P. Frank, loc. cit. pag. 22.

Haase[31]) in systemate suo tertiam amenorrhoeae speciem nominat morbum, qui Chloroseos nomen habeat, itaque sequens veterum auctorum opinionem fere solus de ea nostri aevi medicorum discedit.

Nuperrime medicus anglicus M'Diwitt[32]) dissertationem promulgavit, in qua *febrim* nominat Chlorosin, cujus opinionis causas affert:

1) Morbum generalem eam esse, qui vim exerceat in omnia corporis organa.

Quod videlicet negari nequit, nam quum sanguis in Chlorosi ita mutatus sit, quid mirum, quod, morbo diu durante, omnia organa ea afficiuntur, quum omnia sanguine nutriantur? Quomodo autem hac de causa inter febres collocanda sit Chlorosis, minime nos intelligere profitemur. Alteram nobis affert suae opinionis causam:

2) quod Chloroseos natura consistat in turbato et debilitato systematis nervorum organicorum, indeque dependentium nutritionis functionum statu.

Cui sententiae omnino adstipulari debemus, sed neque in hac re causam invenire possumus, qua Chlorosis febribus adnumeranda sit, nam eodem jure v. g. hysteria et hypochondria, multique morbi psychici, qui ex perturbationibus ejusdem systematis nervosi ortum suum trahunt, in febrium numero poni possent.

---

31) Haase, Erkenntnifs und Kur der chron. Krankheiten. Leipzig, 1820. Bd. I. 556.

32) Froriep's neue Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde. Bd. 7. No. 14.

Causa proxima Chloroseos ita ut fere omnium morborum obscura est, atque eo magis quum in hoc morbo nullo modo distincte designari possit organum, quod primitus aegrotet, itaque vel perscrutato, quo agere soleant morborum causae in corpora organica, modo, nihil hic illustratum foret. Licet nuper lien, praecipue in iis casibus, ubi provectioris aetatis mulieres invadit Chlorosis, initio affici contendatur, quam opinionem inter alios Heidenhain [33]) in dissertatione inaugurali, ceterum ingeniose scripta exponit; tamen hoc parum aut omnino non comprobatum esse videtur, nam quod lien in cadaverum sectionibus nonnunquam aliquo modo degeneratus invenitur, non satis argumenti est, eum jam initio morbi affectum fuisse, quum hanc degenerationem posse morbi vel sequelam fuisse negari nequeat.

Amenorrhoeam aliasve menstruationis anomalias causam esse morbi, experientia satis diluitur, permulti enim exstant casus, ubi initio morbi fluxus menstruus nullo modo perturbatus, serius modo anomalias perpessus est; et quamquam plurimi veterum auctorum amenorrhoeam aut alias menstruationis anomalias causam habebant Chloroseos, tamen jam inter eos invenimus, qui hanc opinionem refutaverint, ut Hoffmann [34]), Loew [35]), Frank [36]).

Functionum genitalium anomalias talem haematoseos vitiatae statum, ut in Chlorosi, sequi, nimirum haud diffi-

---

[33]) Heidenhain dissert. inaug.
[34]) Fr. Hoffmann loc. cit.
[35]) Ephem. natur. curios. Dec. II. ann. IX. pag. 190.
[36]) P. Frank loc. cit. pag. 22.

cile est intellectu, nam ubi ne ad corpus nutriendum quidem satis paratur sanguis, unde hic nasceretur, quem corpore sano superfluum natura destinat excernendum? et si attamen excernitur sanguis, quomodo alius, et quidem melioris esse posset conditionis, quam in ipso corpore?

Sanguinem in corpore femineo adulto sano superfluum, ad foetus nutriendum a natura destinatum esse, neminem fugit; in chloroticis vero nihil aut parum hujus sanguinis superflui adest, quo fit, ut Chlorosi affectae mulieres non concipiant; aut si attamen conceperint, serius otius abortent [37]). Quod quamvis experientia satis constet, liceat tamen exemplis duobus confirmare: Soror mea, nuptiarum adhuc expers, Chlorosi leviter laboraverat; paullo post sanitatem restitutam matrimonio juncta, in statum morbosum recedit, et per duos primos annos non concepit. Tum, etsi Chlorosi adhuc vexata gravida facta est, sed nunc in diem proficiebat morbus ita, ut septem post menses ipsa funeris instar esset, nec uterus foetum retinere valeret, sed infantem mortuum expelleret. Puerperium facile perpessa soror mea dehinc sanitatem recuperare incipiebat, ac brevi temporis spatio perfecte in statum sanum restituta, nunc tribus infantibus sanis gaudet.

Alia quae eadem in urbe, qua tunc soror mea vixit, mulier ante sex annos nupta erat, et fere ex eodem tempore Chlorosi laboraverat; quum et haec nondum conceperit, exemplo sororis meae commota, patris mei auxilium

---

[37]) P. Frank loc. cit. pag. 63.

imploravit: sanitate recuperata mox concepit, necessariumque post temporis spatium sanum peperit infantem.

Reproductionis morbum non majore jure, quam amenorrhoeae sequelam, Chlorosin appellari posse censeo, quum neque reproductionis functiones primitus in ea aegrotent. Haud raro enim eas aliquantum etiam temporis integras vigere observamus, quum jam permulta aliorum Chloroseos symptomatum plane adfuerint. Attamen inficias ire non possumus, iis praecipue in casibus, ubi virgines circa involutionis tempus Chlorosi afficiuntur, reproductionem una cum organorum sexualium functionibus maxime proximeque corripi ac turbari. Non autem dubito, quin omnes has turbationes, ita ut cetera supra memorata Chloroseos symptomata de ***haematosi vitiata*** pendere, hanc ipsam vero alia ex causa oriri contendam.

Aetatem et sexum essentialem in oriunda Chlorosi esse conditionem, plurimi vel fere omnes contendunt auctores, quod quidem negare audeam. Omnes contra homines intra eos annos, quibus vim majorem exercet nisus formativus, itaque per totam nostram vitam, infantia ac senectute exceptis, Chlorosi ut afficiantur expositos esse censeo. Sicuti vero observamus, complures morbos, (ratione nimirum habita modi vivendi et cujusvis aetatis naturae), peculiares esse certis vitae periodis, attamen nonnunquam exceptiones statuere: idem dicendum de Chlorosi. Inclinationem emin prae se fert in periodum, qua evolvitur pubertas, summam quidem in puellas hujus aetatis, non autem desunt, qui infantes, mulieres provectioris aetatis, juvenes Chlorosi laborasse observarunt, medici, iique non

parvae auctoritatis, ut Loew[38]), Sauvagius[39]), Haase[40]), Brandis[41]), Schmalz[42]), Gardien[43]). — Ita ut hysteria ab omnibus prioribus, et a permultis quoque nostri temporis medicis, alteri tantum sexui competens habetur, attamen negari non potest, et viros, neque raro quidem, omnia hysteriae symptomata exhibere, exceptis illis, quae a natura feminea dependent; ita quod ad Chlorosin res sese habet.

Et revera non intelligendum est, qua causa non inciderent cujusvis aetatis sexusque individua in morbum, cujus natura in sola haematosi vitiosa consistit; atque ideo, quod imprimis propriisque cum symptomatis conjuncta, accidit in virginibus pubertatis circa periodum Chlorosis, alios homines nunquam ea corripi colligere, leviter saltem censeo argumentatum. Ego ipse juvenem novi, in quo symptomata pluria Chlorosi essentialia patent; facies ejus simillima puellae Chlorosi affectae; varia digestionis molimina, plerumque appetentia cibi deficiens, ructus acidi et inflationes, status pituitosus; nunc alvi obstructio, nunc diarrhoea; praeterea musculorum debilitas, cordis palpitationes dum nimium movetur, ac fere semper animi perturbationes. Tamen nulla corporis regio ullo vexatur dolore,

---

[38]) Ephemer. natur. curios. Dec. II. an. IX. pag. 190.

[39]) Sauvagii Nosologia methodica. Amstelod. 1763. Tom. I. pag. 596.

[40]) Haase loc. cit. pag. 557.

[41]) Brandis loc. cit. pag. 127—129.

[42]) Schmalz Versuch einer med. chirurg. Diagnostik. Dresd. 1825. pag. 186.

[43]) Gardien diction. des sciences médicales. T. V. pag. 132.

nec usquam juvenis morbo graviori se implicatum fuisse meminit.

Chlorosin plerumque virgines pubertatis tempore invadere, quis est qui dubitet? cujus rei interpretatio haud longum abesse videtur: illo quo evolvitur pubertas tempore in organismo femineo natura tam celeriter progreditur, quam nullo alio tempore, neque in corporis virilis eadem periodo observamus. Infantem hodie vidimus, et post hos sex menses virginem perfecte fere explicatam admiramur. Hac actione productiva, mirabili modo aucta, ad materiae plasticae majorem copiam conformandam plus sanguinis consumitur, quam ullo alio tempore. At vero, quum non omnes sanguinis partes ad solidas corporis partes conformandas aptae sint, sed *cruorem* praecipue ad hoc munus a natura destinatum habere debeamus; haud difficile intelligendum videtur, iis in casibus, ubi, incipiente hoc consolidationis aucto nisu, organismus femineus justum perfectionis ac firmitatis gradum nondum assecutus est, et ubi omnino causae praedisponentes (ut tam saepe in urbibus) adsunt, sanguinem mox in aliam, ac justa est, conditionem reddi: principium enim plasticum et irritans *cruor* ei detrahitur, relicto ejus tanquam menstruo, *sero*.

Ita fit, ut in chloroticis sanguinem, et ex vena missum et fluxu menstruo ejectum non modo copia justo minorem, sed etiam ejus conditionem valde mutatam inveniamus, et quidem ea ratione mutatam, ut modo explicavimus.

In vitiosa igitur haematosi Chloroseos causa proxima ponenda est, unde etiam revera omnia, quaecunque in ea occurrunt symptomata deduci queunt. Sanguis hac, qua

diximus alienata conditione ad deponendam convenientem solidorum moleculorum copiam non sufficit, itaque ad nutritionem et reproductionem parum aptus est, quo fit ut partes organismi solidae infirmiores fiant, musculi igitur labefacti munere suo male fungantur, atque omnes corporis functiones, quibus actiones musculares sunt necessariae, in diem magis perturbentur. Inde inspiratio et exspiratio manca sanguinem quominus more solito per respirationem mutetur impedit, itaque etiam calor animalis minuitur. Inde cordis palpitationes, cunctique vasorum systematis actiones illegitimae et perturbatae, quibus saepissime congestiones ad varia organa procreantur. Nervi quoque sanguinis justa vi vitali atque sana carentes nutritione, in ceteras organismi partes normali modo agere non valent, atque omnes corporis succi depravantur, neque aliae ac depravatae secretiones et excretiones elici possunt.

Quum in feminis provectioris aetatis vel in juvenibus Chlorosis appareat, libera sese ostendit ab aliis sibi ipsi non propriis phaenomenis, ita ut omnia ejus symptomata ex haematosi vitiosa facile derivari queant. Unde autem his in casibus profecta sit turbata haematosis, ut jam supra commemoravimus, non satis liquet. Quin etiam, si morbi causam proximam totamque corporis praedispositionem novimus; proficere quidem morbum, de quo sermo est, satis clare videmus, quo modo autem proficiat, — semper est in tenebris.

Systema nervosum plasticum maxime turbatum haematosi vitiatae vel semper antecedere videtur, nam talis est nervorum cum sanguine connexus, ut, si alterum gravius quid patiatur, alterum prorsus incolume manere

omnino non possit. Sed nimium in eo, qualis hodie est literarum status, mihi quidem ii audere videntur, qui ultimum ac remotissimum, quo invicem sese afficiunt, modum definire volentes, de turbata, quasi *polarisatione* in *singulis* ejusdem *systematis nervei provinciis* narrant, quae tamen commenta nihil nisi verba, quibuscum quid sibi velint, ipsi nesciunt, mihi quidem videntur.

Haec vero manca scientia nostra de vera morborum natura non impedit, quominus majore cum fide intelligamus, unde fiat, ut Chloroseos si circa pubertatis annos puellas afficit, phaenomena magna ex parte alia sint, ac illis in casibus. Nam summam esse in sexu femineo vim systematis sexualis, et experientia docet, et mulieris destinatio comprobat; quam vim etiam augeri, dum natura inter omnia feminae organa, partes imprimis genitales evolvere et ad munus aptas reddere nititur, quotidie videre possumus, quum ne validissima quidem puella per hanc periodum prorsus libera maneat ab ullis moliminibus. Quanto igitur magis ad morbos occasio data est, priore corporis constitutione illis favente!

Et hanc, si omnino morbum quemque in varias formas dividere necesse videtur, rationi convenientissimam habeo divisionem, scilicet secundum sexum et aetatem, quamvis et hanc equidem supervacuam esse duco, quum omnes hae morbi formae unam semper eandemque naturam prae se ferant, quumque medicus secundum indicationes agere debeat, neque permissum sit ei, commentorum nominum ac specierum rationem habere. Minime vero morbi naturae, omniumque medicorum experientiae respondet, statuere, id

quod nuperrime nonnulli sunt ausi, Chloroseos formam *synochicam*, *plethoricam*, *floridam*.

2) De causis remotis.

Causae Chloroseos remotae in duas dividi debent partes: in causas praedisponentes et causas occasionales.

a) Causae praedisponentes.

Primum hic nominanda est aetas, nam ut jam supra memoratum, inclinationem prae se fert Chlorosis ad pubertatis evolvendae periodum, et quidem hujus aetatis plerumque puellae afficiuntur, quum in iis plures aliae et praedisponentes et occasionales causae frequentius occurrant.

Tum dispositio congenita, quo referendae sunt scrophulosis, rhachitis, atrophia infantum, helmintiasis et morbi exanthematici, quae omnia probat Richter [44]).

Habitum corporis valde laxum et spongiosum Hoffmann [45]) praedisponentem ad Chlorosin, praeterea temperamentum lymphaticum ac debilem, melancholicam corporis constitutionem contendit Desormeaux [46]).

Prudenti educatione huic indoli periculosae magnam quidem virium partem eripi posse negari non potest, summam vero per totam juventutem postulat cautionem, ne evitata Chlorosi alii oriantur morbi.

Auctore Schoenlein regionum septemtrionalium incolae ad Chlorosin magis sunt proclives.

---

[44]) Richter loc. cit. pag. 760.
[45]) Fr. Hoffmann loc. cit. pag. 389.
[46]) Encyclop. der med. Wissensch. etc. loc. cit.

b) Causae occasionales.

Mala cultus victusque ratio inter eas causas inprimis nominanda; domicilium humidum in loco profundiori situm nec aëri nec luci satis expositum, homini ita ut et plantis nocet; nihil enim sanitatem magis juvat, quam aëris lucisque liber accessus, quo sanguis satis oxydatur. Simili modo cibi digestu difficiles, viscidi, adiposi; panis male parati usus continuus, nec non potus relaxantes, tepidi ex coffeae [47]) arabicae fabis parati aut infusa Theae, quibus motus peristalticus retardatur, ventriculi intestinorumque irritabilitas diminuitur, ita ut alvi obstructiones aliaque digestionis vitia sequantur; annos penuriae frequenter Chlorosin producere, antiquus de mulierum adfectionibus scriptor adnotavit [48]). Vita praeterea sedentaria, otiosa, mollis, qua sanguinis circulatio retardatur, eadem fere mala procreare solet.

Perniciosissimam autem in corpus aeque ac in animum vim exercent omnia animi pathemata et affectus psychici, luctus, tristitia, amor infelix et, certa aetate, libidinosae libris obscoenis lectis procreatae imaginationes.

Praeterea genitalium irritatio praematura, masturbatio, onania a multis scriptoribus inter causas Chloroseos occasionales nominantur, neque improbabile videtur, his rebus systema nervosum abdominale tali modo irritari ac turbari, ut vim nocentem in sanguinem exerceat, qua haematosis perturbetur. Cupidines eroticae non satiatae aeque ac coitus maturius commissus aut postea justo frequentius peractus Chlorosi oriundae favere possunt.

---

[47]) Hoffmann loc. cit. pag. 390.

[48]) P. Frank loc. cit. pag. 59.

Chlorosin etiam arte, nempe *aceti* maximis dosibus haustis procreari posse Frankius affirmat [49]).

Decursus.

Ut omnes morbi chronici et Chlorosis tardissimum habet decursum; plerumque aliquot menses atque adeo annos perdurat; rarissime modo singulis hebdomadibus finitur. Nonnunquam in morbi decursu spatia inveniuntur modo breviora modo longiora temporis, quibus aegroti nonnisi musculorum debilitate, atque respirationis difficultate in celeriori corporis motu laborant; ita ut cetera evanuisse videantur symptomata.

Exitus Chloroseos modo est sanitas, modo morbi secundarii, modo mors, plerumque morbis secundariis gravioribus adducta. Nunquam subito ad sanitatem redit morbus, sed plerumque per intervalla: sensim sensimque corpus exhaustum nutritione roboratur pulsu denuo pleniori, respiratione liberius procedente, in feminis fluxu menstruo apparente, aut, si prius jam adfuerat, ad justam normam redeunte [50]), facie sanitatis ruborem recuperante; quae omnia, si levior est morbus, vi naturae aut solis diaeteticis remediis efficiuntur.

Sin vero majus temporis spatium teneat morbus, tunc saepe in periculosiores transit morbos, inter quos praecipue nominandi sunt: status hydropicus, qui omnium longe frequentissimus est eventus, et primum quidem anasarca, tum

---

[49]) loc. cit. pag. 58.

[50]) P. Frank loc. cit. pag. 63.

ascites, denique hydrops universalis. Membranarum mucosarum morbi chronici, blennorrhoeae in pulmonibus, unde nonnunquam phthisis pituitosa; in canali intestinali organisve sexualibus, unde apud feminas saepe existit ille fluor albus benignus. Etiam febris hectica ex his morbis chronicis nasci potest, qua tum aegroti intereunt.

Phthisis tuberculosa a singulis scriptoribus Chlorosi procreata observata est, ut inter alios a cel. Schoenlein; tum autem certe morbis praecedentibus ut v. g. scrophulosi ejus semen germinans insertum est; plures scio medicos, qui nunquam tubercula Chlorosi exstitisse viderunt, quod etiam negat M'Diwitt [51]).

Rarissime Chlorosi ipsa obeunt aegroti, cujus tamen eventus Brandis [52]) mentionem facit: sed fere semper morbis illis secundariis.

Organorum, quae, morbo diutius permanente, congestionibus affecta erant, degenerationes saepissime sunt observatae, sectionibusque probe affirmatae, ita hepatis, lienis, ovariorum [53]) commemorant degenerationem scriptores.

Varias totius systematis nervosi affectiones Chlorosi prodiisse jam Lange [54]) edocuit, epilepsiam, hysteriam, Choream St. Viti, somnambulismum, melancholiam et nymphomaniam.

---

[51]) Froriep's Neue Notizen etc. loc. cit.
[52]) Brandis loc. cit. pag. 132.
[53]) Manget. loc. cit. pag. 527.
[54]) Lange loc. cit. epist. XXI.

Diagnosis.

Quamvis omnino non difficile sit, cognoscere Chlorosin, tamen non semper ab aliis, iis praecipue morbis tam facile dignosces, inter quorum symptomata eadem est facies pallida, aliaque similia, quibus in casibus antecedentes causas, supra enarratas et numerum majorem vel minorem symptomatum, praecipue characteristicorum respicere necesse erit.

Affectio Chlorosi simillima est *anaemia*, quae ei revera ita similis est, ut Chlorosis a nonnullis, inter quos Cullen[55]), species anaemiae habita est. Causis vero et symptomatis diligentius perlustratis, satis distinguuntur; anaemiae enim causae imprimis sunt excretiones copiosiores inter alius praecipue morbi decursum, prae ceteris haemorrhagiae graviores et continuae, sanguis quoque nimius vena ejectus. Etiam symptomata in utroque morbo non parum discrepant: debilitas illa totius corporis in anaemia major etiam quam in Chlorosi, et conjuncta esse solet cum nimiis sudoribus, diarrhoeis et excretione urinae; aegroti animum in rem aliquam graviorem intendere nequeunt, et speciem praebent, tanquam pellucidam, et, ut dicit Lieutaudius[56]), quasi cera effictam.

Singulis in casibus primo intuitu leucophlegmatia, hydrops anasarca vel etiam icterus Chlorosis haberi possunt, diligentius verò indaganti, et morborum causas comparanti diagnosis hic facilis erit.

---

[55]) Froriep's Neue Notizen loc. cit.

[56]) Encyclop. der med. Wissenschaften Bd. 3. S. 149.

Eodem modo dignoscamus Chlorosin a pallore, qui morbos ventriculi chronicos comitari solet, et qui nimirum saepe maximam prae se fert cum illa similitudinem, praecipue quum perturbationes functionum digestionis, quae hic nunquam deficiunt, medicum facile fallere possint.

Omnes fere inflammationes chronicae in certo stadio cum pallore conjunctae sunt, quo aegri Chlorosi laborantibus quodammodo similes videntur; hic autem pallor ab illo Chlorosi peculiari differt et praeterea morbos chronicos semper febris comitatur, in Chlorosi vero, nisi affectus alius concesserit, nunquam febris adest. Contendit quidem Dr. M'Diwitt[57]) in Chlorosi exacerbationes febriles vespertina se observasse; observationes autem ita parum frequentes, qui omnibus ceteris repugnant experientiis, non satis sunt momenti, quin fallaces eas esse, censere debeamus.

A suppressione et retentione mensium, quae quidem saepissime inter Chloroseos symptomata sunt, haec ipsa distinguitur peculiari colore ac deficientibus congestionibus menstrualibus.

De cadaverum sectione.

Quae in cadaveribus dissectis inventa sunt, non nimis scientiam nostram de Chloroseos vera causa augere possunt, quum, ut supra jam monui, rarissime accidat, ut Chlorosi sola intereant aegroti, sed fere semper morbis gravioribus, qui aut Chloroseos sunt exitus, aut in ejus decursu accesserunt, defungantur.

---

[57]) Froriep, neue Notizen, loc. cit.

Invenimus autem omnibus in his cadaveribus sanguinem tanquam aquosum, magis dissolutum et copia justo minorem. Lieutaudius[58]) nihil fere sanguinis interdum se invenisse contendit. — Praeterea hydropis universalis inveniuntur vestigia, in thoracis atque abdominis cavo magnam seri copiam.

Tuberculosam in pulmonibus suppurationem saepius inventam esse a singulis affirmatur scriptoribus, quod omnino negare quidem nequeo, tum autem semper tuberculosin, nullo modo cum Chlorosi cohaerentem, tantum accessisse, permultorum medicorum ex observationibus elucet, nam Chlorosis prorsus alius generis est morbus, ac tuberculosis. Praeter complures adhuc viventes medicos, hoc M'Diwitt[59]) comprobat.

Cordis porro vitia organica nonnunquam reperta sunt, dilatationes utrius, praecipue dextri ventriculi, valvularum deformitates, totius quoque substantia mollis, ita ut facile conscinderetur.

Hepatis fere semper pallidum fuisse colorem in tali sanguinis penuria ac depravatione facile est intellectu. Organorum quoque aliorum degenerationes, lienis,[60]) ventriculi,[61]) ovariorum[62])[63]) in sectionibus se vidisse, permulti scriptores edicunt; hae vero degenerationes semper

---

[58]) Encyclop. d. med. Wissensch. loc. cit.
[59]) Froriep, neue Notizen, loc. cit.
[60]) Hufeland's Journal f. prakt. Heilkunde, V. 57. 124.
[61]) Encyclop. d. med. Wissensch. loc. cit.
[62]) Manget. loc. cit. pag. 527.
[63]) Carus Gynaecologie, Bd. 1. S. 164.

morbis procreatae sunt, qui aut eodem quo Chlorosis tempore aderant, aut inter ejus decursum, sive iisdem quibus Chlorosis causis provocati, sive perturbationes per illam institutas sequentes accesserunt, aut denique ex curatione mala profecti sunt.

Prognosis.

In universum Chlorosis prognosin non infelicem permittit, quum leviores morbi casus vi naturae medicatrice sine ullo artis adjumento nonnunquam tollantur. Ceterum dependet prognosis de temporis, per quod perseveravit jam morbus spatio, utpote cui gravitas atque intensitas symptomatum respondere soleat. Tum magni est momenti, num jam aliis cum morbis complicata sit, qualesque sint hi morbi: digestionis v. g. merae turbationes non tam periculosae, quam systematis abdominalis, lienisve aut pulmonum affectiones.

Semper vero ad manifestandam justam prognosin causae, quibus provocatus est morbus, computandae sunt, atque ut omnibus in morbis aegroti aetas, natura, constitutio et conditiones extermae respici debent.

Quo facilius igitur causae detegi ac removeri possunt, quo robustior constitutio aegroti, quo meliores conditiones externae; eo felicior erit prognosis.

Ubi diutius jam perseveravit Chlorosis, et magna jam invenitur virium prostratio, facile in hydropem universalem et febrim hecticam abit, qua tum aegroti intereunt. Dr. M'Diwitt[64]) pessimum appellat symptoma, si tota extre-

[64]) Froriep loc. cit.

mitas inferior, plerumque sinistra, intumescat, atque aegrotus dormire nequeat, nisi sedens.

Chlorosis feminarum veteriorum aeque ac juvenum fere semper meliorem permittit prognosin.

Curatio.

In Chlorosi cura prophylactica majoris fere est nomenti, quam vel therapeutica, nam hunc in morbum non ut in multos alios subito incidunt homines, sed semper aute tempus plus minusve longum, appariturum eum esse nonnullis signis demonstratur. Vulgo jam in ipsa hominis natura atque indole fundamenta ejus jacta sunt, aut morbi antecedentes Chlorosi oriturae favent, id quod in Cap. de aetiologia accuratius adnotatum est.

Plerumque quidem parentum est, diligentiore liberorum habita cura, Chloroseos ortum evitare; medici vero, monere illos modumque suppeditare, quo finem propositum assequi possint. Ubi igitur aut in constitutione aut in prima educandi et vivendi ratione jam inde a tenerrima aetate causae existunt praedisponentes; hic educatio physica et moralis ita mutentur necesse est, ut constitutioni omni modo respondeat. Quamvis enim nemini permissum sit, propriam suam plane mutare constitutionem, tamen modificari illa et roborari potest.

Si tamen neglecta hac providentia pubertatis tempore orta est Chlorosis, medicus, suo tempore ad auxilium vocatus, nisi forsan aliae conditiones alias sibi poscunt indicationes, primum conabitur, num sublatis causis remotis, et praedisponentibus et

occasionalibus, vis medicatrix naturae sola, sine medicaminibus, morbum vincere valeat, id quod haud raro usu venit incipiente imprimis morbo et constitutione praeterea fausta.

Prae omnibus regimen diaetae strictum instituendum, victus omnino nutriens, reproductioni aptus et digestu facilis, ideoque aromaticis nonnunquam conditis eligendus, ex animalium magis quam vegetabilium regno depromendus, imprimis avium caro, lac dulce et recens, gelatina cornu cervi etc., sed hae quoque res parce sunt sumendae.

Ad potum cerevisia amara bene fermentata commendanda est, vel vinum aquae mistum. Praeterea aër sit purus, modice calidus, siccus atque oxygenio abundans. Vitae ratio omnino viribus et corporis et animi respondeat, sedentaria igitur vita plane est relinquenda; nam otium, ut dixit jam Hippocrates[65]), humectat et corpus reddat debile, labor siccat et corpus robustum efficit; et sapiens Lycurgus[66]) corpora virginum cursu, lucta, discorum et telorum jactu exercuit, ut et foetus radix, validum in valentibus exordium sumens, germinaret melius etc.

Quamvis haud ita difficilis in universum quidem Chloroseos sit sanatio, tamen, si omnino medicamentis ad eam curandam opus est, nunquam perfici poterit, ubi morbi causae agere pergunt. De ratione vero medendi eo pauciora dixisse satis erit, quo magis consentiunt de ea recentioris temporis medici. Veteres medicos, quippe quorum de

---

[65]) Hippocrat. de victus ratione Lib. II. Cap. X.

[66]) van Swieten Commentaria in Boerhaavii aphorismos. Lugduni 1764. Tom. IV. §. 1291.

morbi natura opinio plane alia fuerit, alias secutos esse medendi rationes, facile perspici potest. Plerique v. g. *matrimonium* optimum esse Chloroseos remedium persuasum habebant, ita de Muralto[67]), Raymund[68]), alii, id quod etiam recentiores, etiamsi non omnibus in casibus, comprobant[69]). Erant porro in principalibus medicamentis apud veteres *venaesectiones*, quas quo corporis loco instituendae sint subtiliter distinguentes[70]), num hoc num altero brachio, vel pede, num saepius etiam repetendae[71]), adhibere solebant. Easdem venaesectiones saluberrimas fuisse Lange, Fonseca, Zacutus[72]) affirmant. *Emetica* deinde fere ab omnibus commendabantur et vix unum reperire queas, quin prae ceteris *laxantia* et *emmenagoga drastica* laudet. Praeterea utebantur, pro perverso illorum temporum more, fere immensa medicaminnm multitudine, quorum omnium mentionem facere locisque auctorum probare, nihil utilitatis secum ferat; monendum vero, ferrum, hodie inter omnia in Chlorosin medicamina facile princeps, jam ab ipsis adhibitum esse.

Postquam materia medica nostra fausto omine ad simplicitatem quandam redacta est, etsi hodieque rebus inutilibus satis onerata sit, Chloroseos quoque curatio, singulis quidem exceptis, longe simplicior reddita est. —

---

[67]) Ephemerid. natur. curios. Dec. II. an. 8. pag. 38.

[68]) Manget. loc. cit. pag. 534.

[69]) Richter loc. cit. pag. 762 et 764.

[70]) Manget. loc. cit. pag. 527.

[71]) Laz. Riverii observationes medicae. Londini 1646. Cent. I. observ. V.

[72]) Manget. loc. cit. pag. 528.

Quamvis igitur summe nitendum sit (in morbo nostro), ut malum ipsum pro ejus natura e medio tollatur, tamen inficias iri nequit, quum fere semper hic morbus cum hoc aliove malo sit complicatus, haecce dignoscere et curare non minoris esse momenti. Cujus rei nec in Chlorosi neque in ullo alio morbo leges statui possunt, sed prudentiae, scientiae, experientiae cujusvis medici, quam maxime viam sequatur, committendum est.

Quin etiam, quod ad morbi ipsius curam, in universum prorsus nihil proponi potest praeter medicamina praecipua eorumque praeparata. Nam *quomodo* in organismum agant medicamina, plane obscurum nobis est, tamque diu erit, quam ipsa natura organica obscura nobis manebit. Effectus quidem chemici atque analogia viam ostendere nobis possunt, qua et ubi maxime medicamina quaeramus et adhibeamus: aliter vero ea, quam chemice tantum in corpora agere omnibus notum est.

De quantitate, qua adhibendum sit quodvis medicamentum, in universum plura proferre, quam dosin, quae plerumque non sine eventu quodam dari solet, utilitatem prorsus nullam, imo etiam detrimentum afferre potest. Absurdum autem est et discipulo quam medico dignius, formulas magistrales, quae hoc vel illo casu concreto a medicis praeceptae sunt, conscribere ac vulgare, eo maxime consilio, ut in *ejusdem nominis morbis* adhibeantur, id quod in dissertationibus inauguralibus saepissime fieri videmus. Nam qui ita obiter rem tractant, scientiae nocent neque eam ad altiorem perfectionis gradum provehunt.

Etenim aetas, sexus, corporis natura multaeque aliae res in casu quolibet variam reddunt cujusvis medicaminis dosin adhibendam, ac medico, ut jam supra memoravimus, secundum indicationes, neque secundum morborum nomina agendum est, maximeque cavendum, ne auctoritates caecus sequatur.

Summum remedium contra haematosin vitiatam *ferrum* esse, hodie omnes consentiunt, et puro eo, et fere omnibus, quot exstant, ejus praeparatis uti solemus, quorum vero omnium optimum esse videtur *ferrum carbonicum*, a plerisque medicis vulgo adhibitum. Dosis ferri media est gr. i — iij. Quamvis sint, qui majorem etiam ejus dosin aegrotis praebeant, tamen ferrum parvis dosibus et magis continuo datum, non quidem majorem, at saluberiorem eventum secum ferre videtur. Multi medici medicamina amara, quae velut apta reddant digestionis organa, ante ferri usum sumi jubent. Inter prima medicamina etiam Cort. Peruvianus est nominandus. Radix denique Ipecacuanhae, refractissima quidem in dosi data, effectum specificum vulgo dictum in systema nervorum abdominale exercere videtur, ideoque frequenter faustissimo cum eventu adhibita est.

Vita.

Ego, Hermannus Schmidt, natus Berolini anno hujus saeculi duodecimo patre Joanne Theophilo Schmidt, Dr. med., matre carissima e gente Zenker, quos vivos pia mente veneror, confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum elementis in instituto quodam paedagogico directore Froebel, in pago Thuringico Keilhau prope Rudolphopolim imbutus, decimo quarto aetatis anno Berolinum redii. Hic gymnasia primum Fridericum-Guilelmum, tum Berolinense, tum denique Franco-Gallum, sub directoribus celeberrimis Spilleke, Koepke, Palmié novem per annos frequentavi. Quo tempore elapso, cum testimonio maturitatis autumno anni nostri saeculi trigesimi quinti ab Ill. Busch, t. t. rectore magnifico, inter cives academicos universitatis Fridericae-Guilelmae receptus, et ab Ill. Boeckh, t. t. decano ordinis philosophici, in album facultatis inscriptus sum. Primo in hoc semestri hisce lectionibus interfui: Cel. Beneke de logice, Cel. Hotho de Lessingii scriptis, Ill. Ohm de stereometria, Ill. Schlemm de osteologia. Tum in gratiosum medicorum ordinem transgressus ab Ill. Müller, t. t. ejusdem decano spectabili, in album medicinae studiosorum adscriptus sum, et per quadrienium hosce viros audivi disserentes: Ill.

Hecker de encylopaedia et methodologia medicinae, de symptomatologia et pathologia generali et de historia medicinae; Ill. **Mitscherlich** de chemia experimentali; Ill. **Kunth** de botanice; Ill. **Müller** de anatomia universa corporis humani sani, organorum sensuum et cerebri, physiologia speciali et generationis, et anatomia comparata; eodem et **Schlemmio** ducibus in arte cadavera rite secandi me exercui; Cel. **Ideler** de anthropologia medica, Cel. **Mitscherlich** de materia medica; Ill. **Horn** de therapia speciali et de morbis syphiliticis; Exper. **Ascherson** de chirurgia generali ac speciali; Ill. **Kluge** de ossium fracturis et luxationibus.

Scholas clinicas medicas, chirurgicas, obstetricias, ophthalmiatricas hasce frequentavi virorum illustrissimorum et celeberrimorum: **Wolff**, **Schönlein**, **Trüstedt**, **Juengken**, **Dieffenbach**, **Barez**, **Kluge**, Beat. **de Graefe**.

Praeterea ut satisfacerem reipublicae legi, duce Dr. **Lesser** in legione praetoria per annum integrum chirurgi militaris munere functus sum.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

Theses:

1) Chlorosis florida non exstat.
2) Pathologia generalis, quoad praxin majoris est momenti quam specialis.
3) Omnia virginitatis signa, seorsum spectata fallunt.
4) Paracenthesis in hydrope pericardii rejicienda.
5) Fames remedium est validissimum.